BIBLIA LATINA, BD. 1

Salzburg (?), 2. Viertel 14. Jh. Seite 294r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

quadratis et sectis. fecit muros eius in latitudine cubitorum lxx. et in altitudinem cubitorum xxx. Turres vero eius posuit in altitudine cubitorum centum. per quadrum vero earum latus utrumque vicenorum pedum spatio tendebatur. Posuitque portas eius in altitudine turrium. et gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui. et in gloria quadrigarum suarum. Anno igitur duodecimo regni sui. nabuchodonosor rex assiriorum qui regnabat in niniue ciuitate magna. pugnauit contra arfaxat et obtinuit eum in campo magno. qui appellatur ragau circa eufraten et tygrim et iosadam in campo elluoch. regis elicorum. Tunc exaltatum est regnum nabuchodonosor et cor eius eleuatum est nimis et misit ad omnes qui habitabant in cylicia et damasco et libano et ad gentes que sunt in carmelo et inhabitantes galileam in campo magno hesdrelon. et ad omnes qui erant in samaria. et trans flumen iordanis usque iherusalem. et ad omnem terram iesse quousque perueniatur ad montes ethiopie. Ad hos omnes misit nuncios nabuchodonosor rex assiriorum qui omnes uno animo contradixerunt et remiserunt eos uacuos. ac sine honore abiecerunt. Tunc indignatus est nabuchodonosor rex ad omnem terram illam et iurauit per thronum et regnum suum quod defenderet se de omnibus regionibus hiis.

II

Anno tertiodecimo regni nabuchodonosor regis uicesima et secunda mensis primi factum est uerbum in domo nabuchodonosor regis assiriorum ut defenderet se. Vocauitque ad se omnes maiores natu. omnesque duces bellatores suos et habuit cum eis consilium misterii sui. Dixitque cogitationem suam esse in eo ut omnem terram suo subiugaret imperio. Quod dictum cum placuisset omnibus. uocauit nabuchodonosor rex holofernem principem milicie sue. et dixit ei. Egredere aduersus omne regnum occidentis et contra eos precipue qui contempserunt imperium meum. non parcet oculus tuus ulli regno. omnemque urbem munitam subiugabis michi. Tunc holofernes uocauit magistratus et duces uirtutis assiriorum et dinumerauit uiros in expeditionem sicut precepit ei rex centum uiginti milia peditum pugnatorum et equites sagittarios xii. milia. omnemque expeditionem suam fecit preire in multitudine innumerabilium camelorum cum hiis que exercitibus sufficerent copiose. Boum quoque armenta gregesque ouium quorum non erat numerus. Frumentum ex omni siria in transitu suo conparari constituit. aurum uero et argentum de domo regis assumpsit multum nimis. et profectus est ipse et omnis exercitus cum quadrigis et equitibus ~~suis~~ et sagittariis suis qui operuerunt faciem terre sicut locuste. Cumque pertransisset fines assiriorum uenit ad magnos montes ange qui sunt a sinistro cilicie. ascenditque omnia castella eorum et optinuit omnem munitionem. et fregit etiam ciuitatem opinatissimam melothi. predauitque

294